J. Bang.

Geneseos Mosaicæ Hexaemeron.


Hafn., 1641.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

1,-64.
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 00785 9
+REX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

Geneſeos Moſaicæ

HEXAEMERON

Cujus doctrinæ veritatem

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Admodum Reverendi, Clariſsimi,

Excellentiſsimi

DN. LAURENTII MARTINI SCAVENII, S.S. Theologiæ Doct. & Profeſſoris celeberrimi,

In Regiâ Academiâ Haunienſi ad diem 13 Octobris, hora & loco conſuetis,

Publicæ diſqviſitioni ſubjiciet pro Regio Stipendio impetrando

JOHANNES BANGIUS

Autor & Reſpondens.

HAFNIÆ,

Typis MELCHIORIS MARTZAN,

ANNO CIↃ IↃC XLI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

שיר משבח על פרק

א ספר בראשית

והיה מן שכבן עד אלהים   ביום הזה עשבים ועצים
בצאתו מן מנוחת נצחים   בארץ צו—מחים גם דשאים
בראשית כי ברא כל פעלים   להזריע למינם זרעים:
מאד טובים למינם יתורים   כזרח יום רביעי אלהים
ובם הראה אלהים קדשים   ברא יסף מארים גדלים
גבורתו גדלת חסדים   וכוכבים קטנים לימים
וחכמתו לדעתו אנשים   לאתות גם למועד ולשנים:
להגיד את פלאיו בגוים: מלאכת יום חמישי פלאים
בראברא ברבר אלהים   ומים ש—רצו את שרצים
ורוח פיו ברחף כיונים: במצות אל ועפים מעפפים
היות תהו ובהו עמקים   מהרה קל ברום על עננים:
וחשך על תהם מ—לפנים: ביום ששי בהמה רמשים
ביום אחד בצות אלהים   בראם אל וחיה בשדים
ונגה אור בתוך ה—חשכים: ברא יסף ביום זה אנשים
ביום שני רקיע מארים   עפר ארץ וירדו ברגים
להבדילה במים למים: בכל חיה אשר היא בשדים
בראשית יום שלישי פלאים   אנוש ברא בצלמו אלהים:
רמות מימי תהום על מרומים   וכהיות וים שביעי וכלים
ואת ארץ כמלבוש מסכים   שמי עליון וכל בם צבאים
אשר מן ג—ערת ה—אלהים   צנא ארץ וכל בה דברים
ינוסון אל מקמם מחישים   אשר שבת יהוה אלהים:

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

אוֹרָה

Theſis I.

QVàm neceſſaria & fructuoſa ſit conſideratio opificii mundi, inde facilè patebit, cùm ſit eruditionis diverſorium, facultatisq́; domicilium, quâ Deus noſcitur, menti modū viamq́; ſternens per ea quæ conſpiciuntur ac ſenſui ſe offerunt, ad eas res contemplandas, quæ viſu minimè cernuntur, hoc idem haud obſcurè innuit electum Dei ὄργανον D. Paulus in Epiſt. ad Rom. cap. 1, 20. in hæc verba ſolutus: Τὰ ἀόρατα θεοῦ, δύναμις ſc. καὶ θειότης, ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται.

II.

Hac namq́; rerum creatarum conſideratione, non ſolùm res creatas in ſe, earumq́; vires inquirimus, ſed etiam in ſingulis Dei operibus, ſummam creatoris ſapientiam, potentiam & bonitatem contemplamur, admiramur, conſideramus, commendamus.

III.

Hoc itaq; medio tanquam alis & ſcalis quibusdam ad Deum agnoſcendum & celebrandum evolare atq; conſcendere poſſumus & debemus: Dei igitur opera minima cum maximis ubivis intuentes ipſum opificem agnoſcere diſcamus, qui nuſpiam bonitatis ipſius, ſapientiæ & potentiæ lucidiſſima teſtimonia & documenta deſunt.

IV.

Neceſſaria itaq; eſt doctrina de creatione homini Chriſtiano, primo quia eſt articulus fidei Chriſtianæ, Heb. 11, 3. Per fidem intelligimus conſtructum fuiſſe mundum verbo Dei, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. 2. Quia tota creatura eſt velut illuſtre quoddam ſpeculum in quo Deus infinitam ſuam potentiam, omnia ex nihilo condendo: ſummam ſuam ſapientiam, o-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

mnia aptiſſimo & convenientiſſimo ordine digerendo: inexhauſtam ſuam bonitatem omnia ſuſtentando, conſervando, elucere atq; apparere fecit. Et quis non videt, doctrinam de creatione homini cognitu quàm maximè neceſſariam eſſe, cum faciat ad cognitionem ſui ipſius, multumq; lucis adferat ad ſui cognitionem, ſine qua ad cognitionem Dei nemo pervenire aut mentis acumine pertingere poteſt.

V.

Hæc cum ita ſe habeant in campum creationis exſpaciabimur, & ἔργον ἑξαήμερον *perluſtraturi, prius quædam in genere de creatione prælibabimus, ſingula membra ſecundum ſcripturam expediemus, & tandem quid creatio ſit expendemus.*

VI.

Operæ pretium facturi, homonymiam vocabuli creationis aſſignabimus. Creatio Heb. ברא *à* בריאה *propriè ſignificat productionem rei alicujus ex nihilo, & dicitur* γένεσις ὑπερφυσικὴ; *& diſtingvitur in immediatam & mediatam ſeu reſpectivam.*

VII.

Creatio immediata eſt, quâ fit quippiam οὐδενὸς προϋπάρχοντος: *Sic Deus creavit cœlum & terram. Gen. 1, 1. Mediata eſt, quâ quippiam ſit* ἐκ τοῦ ὑπάρχοντος *ſeu inhabili materia: ſic Deus creavit Adamum ex limo terræ. Gen. 2, 7. Evam è coſtâ Adami, Gen. 2, 22.*

VIII.

Secundò creatio transfertur in ſcripturâ ad alias res, ad quodvis opus præclarum eximium & ſtupendum deſignandum adhibetur, ſoli v. Deo accommodatur: Hæc παλιγγενεσία *dicitur, eſtq; corporalis vel ſpiritualis.*

IX.

Corporalis παλιγγενεσία *eſt reſtitutio corporum per novam creationem, de qua Matth. 19, 28.* Amen Amen dico vobis, quod qui ſecuti eſtis me, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ cum venerit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos &c. *Spiritualis eſt renovatio ſpiritus noſtri:* Quò pertinet hoc Pſ. 51. 12. Cor mundum crea in me Deus. *Hæc* Dei *opera non ſunt minoris*

noris

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

noris virtutis & potentiæ, quam ipſum opus creationis, nam opus recreationis & refectionis majus eſt quam opus creationis & factionis, inquit Bernhardus.

X.

Hinc tres creationis modos novimus in ſcriptura: Unum quo quid ſit ex nihilo: Secundum, quo quid in meliorem ſtatum reſtituitur: Tertium, quo mortui divinitus receptâ vitâ reſuſcitantur.

Prima ſignificatio eſt præſentis inſtituti.

XI.

Cauſa efficiens creationis eſt DEUS *unus & ſolus, quod comprobatur teſtimoniis ſcripturæ infallibilibus.* Mal. 2, 10. Numquid non unus Deus creavit nos. Heb. 3. 4. Qui condidit omnia Deus eſt. Gen. 1, 1. In principio creavit אלהים cœlum & terram & paſſim alibi.

XII.

Opus creationis eſt opus ad extra, opera v. ad extra ſunt indiviſa, E. opus creationis eſt opus indiviſum trium perſonarum Divinitatis, quæ conſiderantur juxta agendi ordinem, nominata enim unâ perſonâ in operib. ad extra, tota trinitas deſignatur.

XIII.

Quod tota S. S. Trinitas concurrat ad opus creationis, probatur primò myſticè, ex dicto Gen. 1, 1. verſ. בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ *hic jungitur nomen* DEI *in plurali numero,* אֱלֹהִים, *ſc. cum verbo ſingulari* בָּרָא *ad indigitandum ſacroſanctæ Trinitatis perſonarum in una individua eſſentia myſterium, nam niſi hic ſermo eſſet ſcriptus, nemini ita loqui licuiſſet.*

XIV.

Secundo: Idem probatur literaliter, harum enim trium perſonarum in prima hujus myſterii in verbo ſcripto revelatione diſtincta fit mentio: Pater creavit dicendo, quod Evangeliſta de hypoſtatico & conſubſtantiali DEI *verbo accipiendum eſſe docet.* Joh. 1, 1. 2. 3. In principio erat ſermo ille, & ſermo erat apud Deum, & ſermo ille erat DEUS. Hic ſermo erat in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

principio apud Deum, & omnia per eum facta ſunt, & abſque eo factum eſt nihil quod factum eſt. *De Spiritu Sancto ibidem dicitur quod incubârit ſuperficiei aquarum v. 2. id pſaltes de ſpiritu oris, h. e. hypoſtatico & conſubſtantiali* DEI *Spiritu accipiendum eſſe oſtendit*, Pſal. 33. v. 6. Verbo Domini facti ſunt cœli, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum. *Præterea* אלהים *eſt qui dicit* Gen. 1, 26. נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ *undè ſufficientur colligi poteſt S. S. Trinitatis myſterium.*

XV.

Tertiò ad idem demonſtrandum maximè faciunt teſtimonia ſcripturæ fallere neſcia, in quibus jam ſigillatim DEO *Patri*, 1. Cor. 8, 6. Unus DEus Pater ex quo omnia. *Filio*, Johan. 1, 3. Omnia per ipſum facta ſunt. Col. 1, 16. In ipſo creata ſunt omnia. *Spiritui Sancto* Gen. 1, 2. וְרוּחַ אֱלֹהִים מְרַחֶפֶת עַל פְּנֵי הַמָּיִם Job. 33, 4. Spiritus Domini fecit me, & ſpiraculum omnipotentis vitam indidit mihi. Pſal. 104, 30. Emitte Spiritum tuum & creabuntur. *Jam conjunctim tribus perſonis creatio tribuitur. Gen. 1, 1. Rom. 11. v. ult.* Ἐξ αὐτοῦ καὶ δι᾽ αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα.

XVI.

Cauſa impulſiva creationis eſt DEI *bonitas, nullâ enim neceſsitate coactus, nullâ ſuæ utilitatis indigentiâ permotus, ſed ſolâ bonitate ductus, liberrima voluntate fecit Deus quicquid fecit. Hanc Dei bonitatem in rerum creatione luculenter demonſtratam celebrat David*, Pſal. 8. & 104. & 136.

XVII.

Bonitatis DEI *primum objectum ad extra eſt nihilum. Ex nihilo enim in principio creavit Deus cœlum & terram. Huc faciunt dicta*, Rom. 4, 14. DEUS vocat τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα. Heb. 11, 3. Fide intelligimus conſtructum eſſe mundum verbo DEI, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι.

XVIII.

Condidit initio Deus ſolo verbo ἐκ τῶν μὴ ὄντων *hæc tria:* Διαφανὲς ἐνεργείᾳ, διαφανὲς δυνάμει, & opacum.

XIX.

Præterea fit diſerta mentio rudis & indigeſtæ molis, initio à

Deo

Deo ex nihilo conditæ, quæ à Moſe appellatur תהו ובהו *Gen. 1, 2. quas appellationes ſortita eſt terra, quia interna ſua virtute & externo ornatu atq; cultu orbata fuit, ut luce, ſplendore ſolis & εὐταξία illa, qua poſtea divinitus condecorabatur, erat* ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος*, quippe aquis undiq; cooperta.*

XX.

Tertio loquitur codex θεόπνευστος *tum de elementis tum de nonnullis aliis corporibus, undè reliqua ſunt producta, ut ex aquis piſces, ex terra reliqua animantia, arbores &c. ex Adami coſtâ mulier,* Gen. 2, 21, 22.

XXI.

Forma rerum creatarum in duobus potiſſimum conſiſtit.

XXII.

Primum quod res creatæ tales ſint, ut archetypo in mente divina reſpondeant.

XXIII.

Quæcunq; enim Deus condidit, ea profecta ſunt juxta ἀρχέτυπον *in mente divina ab æterno præexiſtentem, quem imitantur res creatæ ex intentione* DEI *creatoris determinantis ſibi finem, juxta dicta.* Pſal. 33, 6. Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & extitit. Act. 15, 18. Nota ſunt DEO ab æterno omnia opera ſua.

XXIV.

Deinde ſingulis rebus creatis ſuæ certæ formæ conjunctæ ſunt.

XXV.

Hæ formæ conjunctæ in rebus creatis, eſt ipſe rerum concinnus & admirabilis ordo, ſummaq; ſingularum bonitas, perfectio & utilitas. Gen. 1, 31. Vidit DEUS quicquid fecit, & erat valdè bonum. 1. Tim. 4, 4. Omnis creatura Dei bona eſt, καὶ οὐδὲν ἀπόβλητον. *Hæc bonitas alia eſt interna ſeu ſubſtantialis, alia virtualis, alia externa.*

XXVI.

Bonitas ſubſtantialis eſt, qua res omnes quoad ſuam ſubſtantiam bonæ ſunt, quomodo omnia poſt lapſum permanſerunt bona.

XXVII.

Bonitas virtualis, qua omnes res mundanæ ſuis proprietati-

bus

bus & functionibus à ſubſtantiali & interna bonitate proficiſcentibus ornatæ ſunt: Ejusmodi eſt ἐνεργητικὴ, ζωτικὴ καὶ φυλακτικὴ quædam δύναμις *rebus omnibus in prima creatione indita; eſtq; actualis vel potentialis.*

XXVIII.

Actualis quæ actu ipſo in omnibus conſpicitur & exercetur: Potentialis eſt eorum, in quibus facultas ſeu ἐνέργεια *conſopita videtur, ſed ad alia corpora applicata vim ſuam exerit.*

XXIX.

Bonitas externa rerum elucet. 1. In eximio ornatu, decoro & pulchritudine rerum. 2. In ſtupenda omnium varietate. 3. In partium omnium inter ſe συμμετρίᾳ *connexione &* ἀναλογίᾳ.

XXX.

Bonitas DEI *poteſt communicari, minui non poteſt, hinc bonitatis illi in creaturis rivuli, fonte interim inexhauſto perpetim permanente, & nulla ex parte diminuto.*

XXXI.

Effectus creationis eſt univerſus hic mundus ſetiduxo productus & abſolutus, in ſcriptura nominibus cœli & terræ aliquando etiam maris, tanquam extremorum omnia complectentium deſcribi ſolitus. Gen.14,19. Pſal. 69,35. Laudate Dominum cœli & terræ, mare & omne reptans in iis.

XXXII.

Colligimus ergo, quod non ſolùm viſibiles & aſpectabiles illas creaturas in principio Deus Pater, per Filium, fovente Spiritu Sancto creaverit, ſed etiam invìſibilia, ſivè ſint throni, ſivè dominationes, ſivè principatus, ſivè poteſtates, omnia per ipſum & in ipſo ſunt creata, Coll. 1, 16.

XXXIII.

Finis creationis primarius eſt ſapientiæ, bonitatis & potentiæ divinæ manifeſtatio. Pſal 19, 2. Cœli enarrant gloriam Dei, & opus manuum ejus indicat expanſum, dies ad diem eructat ſermonem, & nox ad noctem oſtendit ſcientiam. Prov. 16, 4. Omnia operatus eſt Dominus propter ſeipſum.

Deus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

XXXIV.

Deus totum hoc univerſum & omnia quæ in ipſo ſunt creata, creavit non aliqua ſua indigentia, quippe qui ad beatitudinem ſibi ſufficientiſſimus, nec alieni boni indigus, cum ipſe det omnia. Act.17,25. Sed ex beneficentia, non noſtris amplificandus laudibus, ſed ſuis manifeſtandus operibus.

XXXV.

Deus etenim naturâ inviſibilis. Exod.33,20. Ut à viſibilibus ſciri atq; cognoſci poſſet, opus aliquod fecit, quod opificem ſua viſibilitate manifeſtaret. Ambroſ.in cap.1. Rom. *nec alia ratione factus eſt homo, quam ut organum ſit ad gloriam Dei accommodum, undè etiam* ὁ κόσμος οὗτος ὅλος ὥσπερ τι βίβλιον ἔγγραφόν ἐστι ἐπαγορευόμενον τὴν τοῦ Θεοῦ δόξαν.

XXXVI.

Talpa cæcior ſit oportet, qui è modo, ordine, & varietate rerum non videat quàm ſapiens ſit Deus: Quis adeo nullo eſt ingenio aut judicio, ut non indè intelligat potentiam Dei, *partim quod tot & tanta ex nihilo produxerit, partim quod ſingula ſuſtentet & conſervet?*

XXXVII.

Ex cognitione igitur potentiæ divinæ in creaturis naſcatur in nobis timor Dei, *ex cognitione ſapientiæ divinæ naſcatur in nobis erga* Deum *fiducia, ex cognitione bonitatis divinæ naſcatur in nobis* Dei *amor, ut ſic in omnibus ſit laudandus in ſecula.*

XXXVIII.

Secundarius creationis finis eſt hominum utilitas. Pſal.8,7.8.9. Dominari feciſti eum operibus manuum tuarũ, omnia poſuiſti ſub pedibus ejus, pecudes, boves, univerſa ipſa, beſtias agreſtes, volucres cœli, piſces maris, & quicquid tranſit ſemitas maris. *Angeli in miniſterium hominum conditi dicuntur.* Pſal.91,11. Heb.1,14. *Solem, Lunam, & reliqua corpora cæleſtia in uſum hominum condita eſſe memorantur, Deut.4,19.*

XXXIX.

Idcirco mundus eſt ut naſcamur, ideo naſcimur ut agnoſcamus factorem mundi & noſtri Deum, ideo agnoſcimus ut colamus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

ideo colimus ut immortalitatem pro mercede laborum capiamus.

XL.

Omnes res creatæ ſunt homini utiles vel quoad animum vel quo ad corpus. Quo ad animum tota hæc illuſtris naturæ ſchola primò facit ad inſtitutionem, inſtituit enim nos de DEI *ſapientia, potentia & bonitate, ut ſuprà annotavimus.*

XLI.

Deindè exſtimulat nos & qs. calcar nobis addit ad concipiendam fiduciam in Deum, timorem & amorem ejus, quod patet ex dictis Pſal. 33, 8. 9. Timeat à Jehova omnis terra, & ab eo paveant omnes habitatores orbis, quoniam ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & extitit. & 95, 1. 2. 3. ſeq. *Venite exultemus Jehovæ, præoccupemus faciem ejus cum laude, in cujus manu ſunt ima terræ, cujus eſt mare & ipſe fecit illud, & ſiccam manus ejus formaverunt. Venite genu flectamus coram Jehova factore noſtro.*

XLII.

Præterea hujus mirandi mundi opificij à DEO *producti conſideratio maximam ſolaminis auram nobis ab adverſæ fortunæ fluctibus agitatis afflat. Etenim Deus qui tanta polluit potentia, ut tot & tanta ex nihilo crearet, ſatis potens eſt ad coercendos hoſtes noſtros. Affert nobis conſolationem adverſus publica & privata incommoda,* Jer. 45, 2. 3. ſeq.

XLIII.

Corpori conducunt res creatæ, tàm ad nutritionem quàm ad medicinam, & ſi non omnia eſui, uſui tamen eſſe & aliis pabulum miniſtrare poſſunt.

XLIV.

Nullum ſivè animal, ſivè planta eſt in qua operationem quandam hominum uſui conducentem non impoſuerit rerum conditor atq; opifex.

XLV.

A DEO *enim nihil noxium eſt conditum, poſt lapſum tamen ea, quæ ab initio fuerunt majeſtatis divinæ gratia documenta, juſtæ* DEI *vindictæ facta ſunt inſtrumenta: Et ſunt mala punitoria à* DEO, *non peccatoria,* ut vocat Tertullianus.

Si

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

XLVI.

Si quæ ſunt noxia aut pœnaliter lædunt, aut ſalubriter exercent, aut utiliter probant, aut ignorantes docent, quæ omnia nobis utilia exiſtunt, idq; duplici nomine, 1. quia faciunt ad gloriam juſtitiæ divinæ prædicandam. 2. quia conferunt ad emendationem & correctionem.

XLVII.

Ex jam enumeratis cauſis, efficiente ſc. materiali, formali, & finali tandem colligemus quid ſit creatio.

XLVIII.

Creatio eſt actio unius & quidem ſolius DEI, *ac indiviſum trium perſonarum divinitatis opus, quo Pater per Filium coæternum in Spiritu Sancto coæterno res omnes creatas viſibiles & inviſibiles ſex dierum ſpatio liberrima ſua voluntate ex nihilo optimas condidit ad ipſius* DEI *gloriam & hominum ſalutem.*

XLIX.

Ordinem rerum creatarum ex DEI *revelatione deſcribit Moſes in capite primo Gen. in quo capite propoſitus articulus tanquam in propria ſede fundatus eſt: Talem v. ordinem memorat Moſes, quod ſex diſtinctis diebus cælum, terram, mare & omnia quæ in illis ſunt Deus creaverit, hinc opus creationis veteribus dicitur* ἔργον ἑξαήμερον; *quod nos etiam perluſtrabimus & quædam exindè delibabimus.*

L.

Moſes ſuum opus, adeoq; totam ſacram ſcripturam inchoat à Deo, & oſtendit, quis ſit autor totius univerſi, & rectè: Nam totius ſcripturæ ſumma eſt revelatio eſſentiæ & voluntatis DEI. *Ita autem loquitur Moſes: In principio creavit Deus cælum & terram, rudem materiam futuri operis: Principium hoc verbum eſt inceptionis, quo ſc. res eſſe cœperunt:* Ἐν ἀρχῇ τῇ κατὰ χρόνον *creavit Deus cœlum & terram, nominibus* תֹהוּ וָבֹהוּ *inſignitam.*

LI.

Nihil ergò ſubſidij inveniunt in voce בְּרֵאשִׁית *qui exindè colligere conantur, mundum conditum eſſe in Septembri, & quidem primo die ejusdem menſis, nixi* תְּמוּרָה *cabalæorum, quâ ex una dictione fit altera per* μετάθεσιν *literarum, atq; ita dicunt* בְּרֵאשִׁית

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

idem eſſe quod תשרי ב א *in primo die Septembris, nomine enim* תשרי *menſis Sept. indigitatur: Hoc commentum eſt.*

LII.

Certiùs colligitur ex Moſe, cœlũ terramq́; condita eſſe nec in vere, nec æſtate, nec autumno, nec hyeme, ſed in principio Gen. 1, 1. & in non tempore.

LIII.

Interna & externa terræ conditio indigitabatur vocibus תֹהוּ וָבֹהוּ *interna exprimitur voce* תֹהוּ *h.e. informitas, ſolitudo non quod omni penitus formâ, ſed interna operatione & facultate agendi, formæ indice, deſtitueretur.*

LIV.

Externa terræ conditio trifariam potiſsimum intelligitur. Primò voce בֹהוּ *quæ vox refertur ad externam deſolationem & denotat inanitatem, ut vult* רד״ק.

LV.

Deindè hæc fuit terræ conditio, quod cooperta erat abyſſo, poſtea dicta הַמַּיִם *in cujus ſuperficie erant tenebræ, quæ tamen exiguo tempore durarunt.*

LVI.

Licet terra intus & extra inanis atq́; informis extitit, tamen Spiritus Domini hanc rudem & imperfectam maſſam ſuâ efficaci operatione deſtitutam non ſinebat, ſed illam fovebat, ſuſtentabat, & ad maturitatem perducebat. Gen. 1, 2. וְרוּחַ אֱלֹהִים מְרַחֶפֶת עַל פְּנֵי הַמָּיִם.

LVII.

Et dixit Deus: יְהִי אוֹר וַיְהִי אוֹר *prima vox* DEI *naturam lucis creavit, ad diſpellendas abyſsi tenebras, ac dierum noctiumq́; viciſſitudinem inchoandam: Nec fruſtra initium fecit à luce, quia omnia fecit in ſapientia, Pſal. 104, 24. Propterea hunc ordinem obſervavit, ut nos ex luce, & per lucem, Deum lucis autorem cognoſcere diſceremus.*

LVIII.

Ante lucem exortam haud nox erat ulla, ſed tenebræ, quod autem à die ut oppoſitum eſt diſtinctum, nox eſt nuncupatum.

LIX.

Tunc autem fiebat dies, viciſsimq́; nox accedebat, non ex motione

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

tione ſolis, ſed primogenita illâ luce ſe diffundente rurſumq; contrahente, ea ſanè menſura quæ à DEO *fuerat definita.*

LX.

Et facta eſt veſpera, & factum eſt mane dies unus. Veſpera eſt terminus communis diei & noctis, manè autem vicinitas illa noctis ad diem: finem itaq; diei prius memorat, deindè noctis quippe quæ ſequitur ipſum diem.

LXI.

Secundi diei θεέργημα *eſt* רָקִיעַ *quod ſignificat extenſionem ſeu expanſionem à verbo* רָקַע *extendit, expandit, locutione ab iis deducta, quæ tundendo & percutiendo diſtenduntur,* ut Pſal.104,2. Extendit cœlum velut cortinam. Eſa.40,22. Expandit velut telum cœlos.

LXII.

Dicitur & στερέωμα *ut 70. interpretes tranſtulerunt, non quod ex adamantina materia ſit compactum, ſed propter firmitatem, & quod humanæ curioſitati hic fixus eſt terminus. Ab officio dicitur* מַבְדִּיל

LXIII.

Deus totum hoc vaſtum mundi ædificium extructurus, initium facit non à fundamento ſed à firmamento, non ab area ſed à tecto, quod ingens creationis miraculum eſt, tamen in commodum hominis inſtitutum eſt: Quas v. baſes fuiſſe exiſtimas, quibus hæc laquearia innitebantur? quos paxillos quibus hoc tectorium affixum? ad hoc Paulus reſpondet Heb.1,3. Qui portat omnia verbo virtutis ſuæ?

LXIV.

Tertij diei θαυματέργημα *fuit, quod aquæ quæ erant* מִתַּחַת הַשָּׁמַיִם *in unum locum omnipotente* DEI *imperio ſint congregatæ, &* הַיַּבָּשָׁה *apparuit.*

LXV.

Hinc apparet 1. terram die tertio non eſſe creatam ut volunt nonnulli, ſed tantum ab aquis quæ eam inviſibilem reddiderunt liberatam fuiſſe, primo enim die producta eſt אֶרֶץ *tertio v. die non* אֶרֶץ *ſed* יַבָּשָׁה *2. hinc liquet terram in initio non vento neq; ſole*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

Sole exſiccatam, ſed ſolo DEI *mandato ab aquis fuiſſe denudatam.*

LXVI.

Nec caret miraculo, quod aquæ quæ tam laxum locum requirebant, ut univerſam terram contegerent, nunc contineantur loco multo minore: Verùm id ut reliqua DEI *opera factum eſt verbo, nam dixit Deus:* יִקָּווּ הַמַּיִם אֶל־מָקוֹם אֶחָד *hoc verbum fuit verbum omnipotentiæ divinæ, quod aquæ audientes diffugerunt, & in unum acervum conſcenderunt, ut appareret arida: Hoc modo David interpretatur hoc verbum in Pſal. 104, 6.* Aquæ ſteterunt ſuper montes, ſed ab increpatione tua fugerunt, à voce tonitrui tui metuerunt.

LXVII.

Si quæratur: Cuinam corpori tanquam ſubjecto fundamento tàm immenſum & intollerabile terræ pondus innitatur? modum finesq; hic ponere menti debemus, nec diſcedimus unquam à pia & religioſa ſententia, ſed ſimul omnia per ejus potentiam qui omnia condidit contineri fatemur, & in manibus DEI *ſunt fines terræ: Baſes itaq; terræ & maris aggeres eſt omnipotens* DEI *verbum.*

LXVIII.

Terra tribus nominibus inſignitur, videlicet תֵּבֵל יַבָּשָׁה אֶרֶץ *hac tamen differentia, ut* אֶרֶץ *totam terram cum interluentibus aquis:* יַבָּשָׁה *eam terræ partem quæ ab aquis vacua & detecta eſt:* תֵּבֵל *terram habitabilem ſeu* οἰκουμένην *denotet.*

LXIX.

Alterum tertij diei opus fuit germinatio, nam terræ mandat Deus ut ex ſe producat עֵשֶׂב דֶּשֶׁא *&* עֵץ *quæ ſtatim juxta* DEI *edictum producta ſunt, & ſuis viribus, facultatibus & ſemine prolifico ornata atq; condecorata fuerunt.*

LXX.

Tribus hiſce vocibus עֵשֶׂב דֶּשֶׁא *&* עֵץ *tria plantarum genera indigitantur:* דֶּשֶׁא *eſt tenera herba, per quam alij inſativas, quæ uſquequaque corpus terrenum ſua viriditate veſtiunt & eximiè ornant, intelligendas exiſtimant.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

LXXI.

עֵשֶׂב *ſignificat herbam majorem, quæ in culmos & caules altius aſcendit.*

LXXII.

עֵץ *generale eſt ac ad arbuſta & frutices transfertur, & quicquid altius excreſcit & ramos producit.*

LXXIII.

Hiſce indidit Deus hanc potentiam, quod ſeminis fœcunditate in ſe condecorata erant, qua ſimile ex ſe individuum ad perpetuam ejusdem ſpeciei conſervationem producere valerent.

LXXIV.

Quarto die cœlum ἄναστρον *novis phosphoris venuſtè exornat atq; condecorat Deus, & qſ. in laquearibus firmamenti* מְאֹרֹת *majus & minus & ſtellas, quæ ſunt* ὀχήματα τοῦ πρωτογόνου φωτός.

LXXV.

Ordo creationis hic probè eſt notandus: Deus ſolem, lunam & reliquas ſtellas demum poſt herbas & arbores condidit, cum tamen harum producendarum illa vulgo cauſæ habeantur, adeò ut uſu tritum illud Theophraſti paſſim obtineat: Annus fructificat non ager. Verùm hoc ipſo indicatur, productionem plantarum non eſſe ſimpliciter acceptam ferendam ſoli, ſed Deo, qui ſine hoc medio agere poteſt quandocunq; voluerit. Præterea hoc ipſum, ut rectè pia obſervavit vetuſtas, eam ob cauſam fecit Deus, ut perverſam hominum opinionem redargueret, & turpiſſimam εἰδωλομανίαν *illam præverteret, ne militia cœleſtis Dei loco coleretur. Ideo Deut. 4, 19 præcipit Deus: Nè, elevatis oculis ad cœlum, videas ſolem & lunam & omnia aſtra cœli & errore deceptus adores ea & colas, quæ Deus tuus creavit in miniſterium omnibus gentibus quæ ſub cœlo ſunt.*

LXXVI.

Uſus ſtellarum innuitur his verbis: Gen. 1, 14. וְהָיוּ לְאֹתֹת וּלְמוֹעֲדִים וּלְיָמִים וְשָׁנִים *erunt in ſigna, ut quædam futura nobis ſignificentur: In ſtatuta tempora,* מוֹעֲדִים *n. à* יָעַד *indixit. In dies*

& an-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

& annos, ſic dicti ſunt ab iteratione, à שָׁנָה iteravit, quod ſole ad punctum unde digredi cœpit redeunte, annus iteretur.

LXXVII.

Cavendum tamen ne humanorum ſcelerum cauſas aſtris adſcribamus, cum aſtrorum conditor ab omni ſcelere ſit immunis.

LXXVIII.

Peccatum cum maledictione committitur, ſidera a. cum à maledictione fuerint immunia, nullo modo ad peccandum inclinatione ſua hominem dirigunt.

LXXIX.

Dies quintus natalis eſt לִשְׁרָצִים וּלְעוֹפִים genuina ſignificatio τοῦ שָׁרַץ eſt, quod non ſimpliciter producere, ſed in magna copia progignere denotat: ut Exod. 8,3. Abundè producat fluvius ranas.

LXXX.

Non ſolùm corpus piſcium, ſed etiam ipſorum anima ex aqua eſt producta, ergo ſimul cum corpore interit: Dixit enim Deus, יִשְׁרְצוּ הַמַּיִם שֶׁרֶץ נֶפֶשׁ חַיָּה: producat aqua reptile animam viventem.

LXXXI.

Adjunxit Deus benedictionem dicendo: פְּרוּ וּרְבוּ quorum hoc propagationem unius ex altero, illud v. multiplicationem h. e. talem fœcunditatem, quâ non tantùm unum individuum ex uno, ſed multa producuntur, denotat.

LXXXII.

Hoc quoq; obſervandum venit in creatione volatilium, quod nomen עוֹף non conſtruatur cum præcedente verbo יִשְׁרְצוּ quod conſtat ex diſtinctione, ſed cum ſequente יְעוֹפֵף ideoq; ex hoc loco nihil præſidij habent, qui aves ex aquis una cum piſcibus productas exiſtimant.

LXXXIII.

Sexto die producere fecit Deus terram tria genera animalium terreſtrium, ſc. בְּהֵמָה רֶמֶשׂ & חַיָּה & poſtea ipſum hominem formavit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

LXXXIV.

בְּהֵמָה *hac voce brutum domeſticum & manſvetum quod cum homine verſatur indigitatur, ut Gen. 36, 6. Vocabulo* רֶמֶשׂ *ſerpentia & reptantia intelliguntur, ſivè* ἄποδα *ut ſerpentes, ſivè* βραχύποδα *ut vermes, formicæ, &c.* חַיָּה *vulgo accipitur pro beſtiis rapacibus.*

LXXXV.

Hæc omnia creata ſunt à DEO *in initio ſalutaria. Sap. 1, 14.* DEUS creavit omnia εἰς τὸ εἶναι, καὶ σωτήριοι αἱ γενέσεις κόσμου, & non eſt in illis pharmacum pernicioſum.

LXXXVI.

Nulla igitur creatura homini nocuiſſet ſi non peccaſſet, ſed potius ipſi inſerviiſſet, dedit enim ipſi Deus dominium in piſces maris, volucres cœli, & beſtiam terræ. Gen. 1, 28. וּרְדוּ בִּדְגַת הַיָּם *Detrectans v. homo creatori debitum ſervitium, amiſit datum ſibi in creaturas dominium.*

LXXXVII.

Creaturus hominem Deus præviam qs. conſultationem inſtituit, quod non DEI *infirmitatem, ſed hominis præſtantiam arguit. Gen. 1, 26.* נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ

LXXXVIII.

Adam hic ſpeciei non individui nomen eſt, denotat hic marem & fœminam, quod obſervandum eſt contra quoſdam deliros & fanaticos homines, qui fœminam non eſſe hominem, nec ad imaginem DEI *conditam rabido quodam ore elatrare haud ſunt veriti.*

LXXXIX.

In hac DEI *de homine condendo conſultatione duo imprimis conſideranda veniunt: 1. n. docetur, quisnam condiderit hominem, nimirum S. S. Trinitas, Pater, Filius & Spiritus Sanctus: Deus enim eſt qui dicit:* נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ

XC.

Et ne quis cogitet Deum alium quendam allocutum eſſe, docet Moſes ſecum conſultaſſe, is enim loquitur, & eum alloquitur ad cujus imaginem conditus eſt homo: at v. Spiritus DEI *rotundâ oratione*

 tione

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

tione monet, hominem non ad alius quam DEI ipſius imaginem conditum eſſe. Poſtquam enim dixit Deus: Faciamus hominem in imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram; ſtatim ſubjungitur: וַיִּבְרָא אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם בְּצֶלֶם אֱלֹהִים

XCI.

Alterum quod in divina de homine condendo conſultatione attendi debet, eſt cauſa ob quam Deus non ſine prævia conſultatione ad hominem condendum acceſſerit: Non ideò Deus conſultaſſe memoratur conditurus hominem, quaſi indigus conſilij neſciverit, & dubius hæſerit quid facto opus eſſet: notum eſt illud Pauli Rom. 11, 33. 34. 35. O profundas divitias tum ſapientiæ tum cognitionis DEI! quam imperſcrutabilia ſunt ejus judicia, & ejus viæ imperveſtigabiles? quis cognovit mentem Domini? aut quis fuit ei à conſilio, aut quis prior dedit ei, & reddetur illi? verùm hoc ipſo innuitur præſtantia hominis, præ cæteris rebus creatis, non enim parùm facit ad augendum hominis dignitatem, quod cum Deus terram, abyſſum, lucem non niſi dicendo creaſſet; terra herbas, animalia, aqua piſces juſſu divino produxiſſet, ipſe v. formationi hominis non ſine deliberatione manum admoverit.

XCII.

Materia proxima è qua humanum corpus à DEO formatum eſt, terra eſt, nam ne putemus talem fuiſſe corporis Adami efformationem, qualis hodiè noſtrorum corporum formatio eſt, diſertè docet Moſes Deum formaſſe primum hominem עָפָר מִן־הָאֲדָמָה

XCIII.

Notanda eſt ſingularis emphaſis in eo, quòd homo potius dicatur pulvis de terra, quàm de pulvere terræ ſumptus, ut indicetur non ſolùm materia è qua formatus eſt homo, ſed etiam hominem nihil aliud eſſe quàm pulverem de terra ſumptum, & propterea oportet hominem memorem eſſe ſuæ conditionis: Quo pertinet illud Baſilij hom. 11. pag. 75. ſi quando animum tuum cogitationes ſubeunt inflationem & tumorem cordis generantes, ſubeat ſimul recordatio creationis, quomodo ſis conditus: Iſta recordatio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

tio nobis adverſus quodvis peccatum cautio & cuſtodia ſit: Finxit Deus hominem pulverem de terra.

XCIV.

Idcircò & nihil eſt homo, & magnum quid eſt homo. Ὥστε καὶ τὸ μηδὲν διὰ τὴν ὕλην, καὶ μέγα διὰ τὴν τιμήν.

XCV.

Modus creationis hominis indigitatur quinq; diſtinctis verbis, quibus ſcriptura utitur in deſcribenda creatione hominis, quorum vocabulorum emphaſis rectè conſiderata totum articulum creationis hominis apertius explicat & illuſtrat.

XCVI.

Primò utitur vocabulo עָשָׂה *fecit, Gen. 1, 26. cujus ſignificatio propria indè colligitur, quod Gen. 2, 3. creavit Deus ut faceret: undè David Pſal. 239, 15. mirificè factus ſum in abſcondito. 2. Habet vocabulum* יָצַר *formavit, quod propriè eſt figulorum, è luto aut argilla vaſa efformantium, unde figulus* יֹצֵר *appellatur Eſa. 42, 1. Sic* DEVS *pulverem terræ in figuram corporis humani plaſmavit, finxit, Geneſ. 2, 7. Huc reſpexit Job dicendo cap. 10, 8. Manus tuæ Domine plaſmaverunt me. 3. Habet vocabulum* בָּנָה *ædificavit: Et hoc vocabulo uſus eſt in creatione fœmellæ. Cumq; mulier creata ſit ad generationem ſobolis, tali utitur verbo, unde filij nomen habent,* בֵּן *enim filium ſignificat, ex cohabitatione viri & mulieris. 4.* בָּרָא *creavit, & propriè ad creationem animæ pertinet, quæ ex nihilo eſt producta. 5.* נָפַח *ſpiravit, quod ſignificat flatum vel halitum emittere, qui ore egreditur inſtar vaporis, vel fumi parvi.*

XCVII.

Differt itaq; creatio hominis à creatione cæterorum animalium præter alia in hoc, quòd in creatione brutorum terra ſimul produxit juſſu divino animam cum corpore, homini verò Deus animam contulit inſpirando: ita enim dicit Moſes cap. 2, 7. Inſpiravit DEus in faciem hominis נִשְׁמַת חַיִּים *ſicut E. animæ brutorum ſimul cum corporibus diſſolvuntur, evaneſcunt & in-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

tereunt, quia terra produxit נֶפֶשׁ חַיָּה *ita ex deſcriptione animæ humanæ dicit Salomon Eccleſ.12,7.* Et revertatur pulvis in terram quemadmodum erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.

XCVIII.

Ex dictis patet, factum eſſe hominem in terra & de terra, non autem ad terram & propter terram, ſed ad cœlum & propter cœlum.

XCIX.

Poſtquam D E V S *hoc opus creationis abſolviſſet, vidit omne quod fecerat,* וְהִנֵּה טוֹב מְאֹד *Gen.1,31. Fuerunt ergo omnia creata ſalutaria, Sap.1,14.*

C.

Atq; ſic fuit finis ſex dierum, & ἔργου ἐξαημέρου*: Nos etiam finem hiſce imponemus: Et quod ſupereſt,* D E O *qui in ſeipſo eſt* α *&* ω*, in mundo ut rector & autor, in eccleſia ut paterfamilias in domo, in ſanctis ut adjutor & protector, in reprobis ut pavor & horror, ſit laus, honor virtus & gloria in ſecula nunquam finienda.*

A M E N.

Soli DEO gloria.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

Hæc addita præterea.

1. *An voce* בְּרֵאשִׁית *initium tantum temporis ac rerum creatarum à Moſe indigitetur? A.*

2. *An ex verbis* בָּרָא אֱלֹהִים *per ſe ac in ſuo loco conſideratis, an verò tantum in collatione cum reliquis ſcripturis probari poßit myſterium SS. Trinitatis? Utrumq; affirmatur.*

3. *An vocabulum* בָּרָא *in ſignificatione creandi & faciendi nemini, præterquam ſoli Deo tribuatur? A.*

4. *An Photiniani rectè negant divinitatem ac perſonalitatem Spiritus S. ex eo quod à Moſe appelletur* רוּחַ אֱלֹהִים *Spiritus Dei N.*

5. *An quia unica eſſentia divina communis tribus perſonis Deitatis recte vis & operatio in opere creationis indiviſa ſtatuatur A.*

6. *An conſultatio divinißima in creatione hominis; faciamus hominem in imagine noſtra; fiat cum Angelis; aut dignitatis merito more magnatum de ſe ſic loquatur Deus; an v. hoc fiat ad demonſtrandum perſonarum pluralitatem*

in deitate? duabus prioribus opinionibus negatis, affirmatur poſtrema.

7. Num dies creationis Angelorum ex Moſe certo colligi poßit? ſuſpendimus quidem heîc merito judicium noſtrum, cum multis præſtantißimis theologis, in re non manifeſte revelata. Interim tamen illorum ſententiam non negligendam judicamus qui Angelos exercitus cœlorum nomine etiam in Moſe intelligi volunt. Gen. 2, 1.

8. An ut creationis humanæ animæ; ita quoq; ejusdem propagationis argumentum â Moſe peti poßit? A.

Errata.

Theſ. IV. l. βλεπόμενα, th. 31. l. ſextiduo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00785 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 785